

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## P. Vergili Maronis Aeneis

Vergilius Maro, Publius

Berolini, 1889

Praefatio

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-730](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-730)

## PRAEFATIO.

Novam Aeneidos editionem ut curandam suscipere exoratus, ut vestigia Ladewigi sequenda esse vidi religiose, ita non nihil mutare animum induxi. atque in constituendis poetae verbis ea potissimum retinui, quae codex M exhibet prima manu scripta. sed falsa, sive quod errore mutata sunt sive perpoliendi studio invecta, in M quoque inesse mihi persuasi eaque paulo plura, quam editores recentissimi statuerunt. ita factum est, ut aliis locis adiumentis codicum P et  $\gamma$  praelatis ad Ribbecki exemplar propius accederem, aliis ceterorum librorum fidem amplecterer nec deteriores, sicubi meliora haberent, sequi vererem. quae autem coniecturis editores atque emendatores novanda censuerunt, ea in contextum versuum asciscere plerumque dubitavi, non quo integra omnia bene se habere arbitrarer, sed quod parum potest internosci, utrum illa, quae displicent, imperfecta atque impolita reliquerit poeta an librarius quidam neglegens vel temerarius depravarit.

Nec facilius est de iis locis iudicare, quibus aut hiare aut versibus abundare videtur rerum compositio. itaque transponendis versibus rarissime rem expedire placuit nec multo saepius damnandis: hoc ubi feci, quos versus boni libri suppeditant, eos uncis quadratis seclusi, unum III 230 ad imam paginam relegavi; quos deteriores soli addunt, eos litteris dedi inclinatis. sed germana quoque narrationis membra aut parum inter se cohaerent aut rebus similibus vel contrariis a retractante librum poeta interiectis non bene procedunt. quae vitia, quoniam nec inserendo nec resecano licet extirpare, multi non curant: equidem si non omnia, at gravissima modeste detegere malui quam silentio transire. itaque non raro lacunas notavi paucis punctis appositis (ex imperfectis versibus solum III 340); tibicines autem quosdam, quos vocavit V. (cf. p. 303 § 11), et secundarum curarum vestigia significavi principiis versuum a solito margine paululum remotis, ut si quis velit omittere facile possit. haec cum distinxi, verae laudi poetae non tam obtrectasse quam prospexisse mihi videor.

In orthographia rationes a Ladewigo susceptas non saepe omisi, nisi quod litteris quas vocant labialibus exitum praepositionum praefixarum assimilavi. hoc, quamquam periculum esse videbam, ne inconstantiae insimularer, quod ceteris vocibus dissonis peperci, tamen plurimorum librorum usui concedendum putavi. aliquanto saepius mutavi distinctionem: satis multa commata sustuli inutilia, interpositiones uncis saepsi rotundis easque paulo plures statui quam Lad.; colon esse volui signum orationis poetice dissolutae, praecisae vel non consequentis lineolam interpositam. denique quo facilius discernentur singuli librorum loci, plura interpunxi intervalla.

Singulis libris argumenti summaria praemisi quam maxime perspicua, in quibus disponendis Gebhardii exemplum saepius usui mihi fuisse libenter profiteor. toti operi subiunxi indicem nominum, quo rerum potius maximarum quam omnium locorum ratio habita est, stemma regulorum ad Apollodori maxime memoriam descriptum vitamque poetae per singulos annos, quoad fieri potuit, digestam. haec quod addidi, multis gratum fore spero, si verum est, quod non semel cognovisse mihi videor, res fabularum atque historiae multas multis discipulis ignotas esse, non quo discere omnino nolint, sed quod unde commode discant non habent.

Restat ut de variae lectionis delectu pauca dicam. quem etsi ab usu scholarum alienum esse non eram nescius, tamen rationibus bibliopolarum obsecutus addidi etiam auxilium. sed ut essem quam brevissimus, non solum multis compendiis usus sum, quibus designantur cum vocabula auctoris codicis dittoagrammatis lacunae libri suspicionis versus, apud praeterea secundum ceteraque, quae infra de libris indicantur, tum verba addendi commemorandi coniciendi dammandi defendendi distinguendi improbandi indicandi iubendi omittendi proponendi recipiendi secludendi statuendi transponendi tribuendi vocandi, sed etiam singulos singulis locis enumerare omisi libros manuscriptos, qui eam quam scriptam dedi lectionem exhibent. tamen quibus ubique libris nitendum videatur, facile potest cognosci ex additis tabulis eorum locorum, quibus singulorum suppetit codicum memoria. idoneorum codicum summam ad paucos numeros redigere quamvis vellem, tamen non potui; neque enim mihi, ut multos cognatione quadam inter se contineri patet, ita certam originum rationem invenire licuit. immo vero quamquam mihi ipsi novorum codicum copia non facta est, tamen ex aliorum libris non nulla habui quae adderem.

Librorum  
re recentiorum  
probabiles aut  
neglexi, damna  
notae causam  
liberetur. certe  
recentioribus elici  
magis ipse dolere  
arere et legere  
Wältheldi emendat  
itaque pauca non  
beckianae denique  
sinae verba, ubi  
descripti. quia  
in Ribb.: 407 r  
atque alia (velut  
rogo ut benigne

BG. = Blätter  
BpH. = Berlin  
Burs. JB. = Burs.

GPr. = Gymnasium  
J. = Jahresbericht  
J. = Jahrs (Pflanz)  
Ind. aest. (bib.) =  
K. = Korrespondenz  
M. = Museum  
Phil. = Philologus  
Pr. = Programm  
W. Ph. = Wochenblatt  
Z. G. = Zeitschrift  
Z. G. = Zeitschrift

Librarium menda silentio praetermisi itemque coniecturas recentiorum inutiles. contra ne eas quidem, quae minus probabiles aut paulo audacius excogitatae sunt, commemorare neglexi, dummodo, quo quisque loco auctor suspicionis recte motae causam suam docuisset, aperte indicasse in rem esse videretur. certe id egi, ut quidquid scriptum videremus in recentioribus editionibus, unde ortum esset, facile appareret. eo magis ipse doleo, quod singulis locis mihi ipsa auctoris verba invenire et legere non licuit: damnationes Bryantii, nonnullas Wakefieldi emendationes, quas in editione eius desideramus, aliaeque paucae non novi nisi ex commemoratione aliorum. Ribbeckianae denique editionis utpote in scholis adhuc usitatisimae verba, ubi ab ea discessi, magistrorum maxime causa exscripsi. qua in opera non nulla me praeteriisse (ut VI 353 *ni* Ribb.; 407 *resident* Heyne ante Gebh.) sero vidi. haec vitia atque alia (velut corrigendum II 741 *ve* libri pr. Ma'e; Ribb.<sup>2</sup>) rogo ut benigne mihi condonentur.

P. D.

## ANNALES SAEPIUS LAUDATI.

*BG.* = Blätter für das bayerische Gymnasialschulwesen.

*BphW.* = Berliner philologische Wochenschrift.

*Burs. JB.* = Bursians Jahresberichte über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft.

*GPr.* = Gymnasialprogramm. *Herm.* = Hermes.

*JB.* = Jahresberichte des philologischen Vereins zu Berlin (ZGW.).

*JJ.* = Jahns (Fleckeisens) Jahrbücher für Philologie.

*Ind. aest. (hib.)* = Index lectionum aestivarum (hibernarum) universitatis.

*KW.* = Korrespondenzblatt für die Gelehrten- und Realschulen Württem-

*Mnem.* = Mnemosyne.

[bergs.]

*Phil.* = Philologus. *PhA.* = Philologischer Anzeiger.

*Pr.* = Programm. *RhM.* = Rheinisches Museum.

*WklPh.* = Wochenschrift für klassische Philologie.

*ZGW.* = Zeitschrift für das Gymnasialwesen.

*ZöG.* = Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien.